

Achaz Christian Ranger Christoph Fischer

Disputatio Iuridica Inauguralis De Concursu Actionum

Regiomonti: Reusner, 1674

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn769806791>

Druck Freier  Zugang





V. N. — 2 (100.)

1. Mollenber de duobus testamentis simul validis.
2. Caroc de investigando definiendoque statu causae forensis.
3. P. Müller de libris officialium, autli vngi str.
4. Stanting de curatore ad litem.
5. Stryci de juramento purgatorio in causis civilibus.
6. Stryci de domicilii mutatione.
7. Radou. de subfeudis.
8. Bünsow de jure deactionis et emigrationis.
9. Stryci de matrimonio ex ratione status.
10. Beckmann de libris aetatis.
11. Bürsfeld de tituli invalidi convalidatione.
12. von Aoweloe. de praerogationibus.
13. Both de anatopis rno.
14. Charivius de dolo.
15. Charivius. de culpa.
16. Willebrandt. de senatusconsulto macedoniano.
17. Ranger de masculorum conditionibus melioribus in jure.
18. Rahne de jure protinereos.
19. Ranger de concurren actionum.
20. Ranger de eo quod iustum est circa consilium.
21. Pauli de immunitate et foro philosophorum.
22. Radou. de furtis.
23. Büttner de torturis et tormentis.
24. Krafft de concursu iudicii civilis et criminalis in causis ultimi supplicii
25. Meyer de iudicio in crimine magiae quoad torturam reprobatis et approbatis.
- 26²-2. Wegner de verborum significatione disput. 1-1x.
27. Cleemann de reciproca cohaerendum substitutione
28. Eichrod de vi rei iudicatae.
29. Wincoop de revocanda divisione hereditaria.
30. Reinhardt. de successione fidei.
31. Banfa de usuris ultra alterum tantum.
32. Schroeter de conuoto vel in conuoto ex alterius persona accidente, quod ex sua non habuisset.
33. Schroeter de reformatione iuris civilis circa causas matrimoniales a Romanis pontificis per ius canonicum perverse tentata.
34. Streit de actione quae ex mala munieris administratione competit.

35. Gribner de fidejussore mulieris apud Saxones sine curatore contrahenti.
36. Beckmann de patria potestate.
37. M. Graf de jure protutorum.
38. Klünger de dote.
39. Werner de jure emphyteutico.
40. Streit de repudio et divortio.
41. G. Engelbrecht de successione ab intestato et honorum possessione.
42. J. L. D. Böhm de filio vasalli successore in feudum.
43. de Khevenhüller ab Aichelberg de eligendo Romanorum rege.
- 43². de Bellmont de academia Erfurtana.
44. Spoenla de foro ac privilegiis practiciantium in camera imperiali.
45. Kestner de jure humaniore Codicis.
46. Schroeter de relaxatione juramentorum.
47. Schroeter de probatione per testes et praesumptiones itemque juramentis
to judiciali et necessario in processu executivo locum habente.
48. Brückner de favore ultimarum voluntatum.
49. Schroeter de principum recriptis eorumque usu moderno.
50. Sahn de jure numeri septenarii Bon. Vuff sur subaudius Zaff.
51. Wolpmann de eo quod justum est circa contractus noviter introductos.
52. Scherbaum de pariete communi ejusdemque jure.
53. Schmidt de denunciatione e suggestu.
54. Schulz de eo quod justum est circa parochianos.
55. Ludovici de eo quod justum est circa campanas.
56. Streit de quatuor quartis.
57. Napoo de impensis in rem alienam a l. et m. f. possessore factis.
58. Schott. de uxore desertivae dote sua esse regula quidem, non tamen
semper privanda.
59. Bauer formulam, qua pecunia dotalitium serviens vidua mortua
in feudum ad filios reverti jubetur, fideicommissum non inferre.
60. Riccio de conventionione obligationis debitoris ad carcerem in omni
ra debiti.

DISPUTATIO JURIDICA
INAUGURALIS
DE
**CONCURSU
ACTIONUM,**

QUAM
EX DECRETO ET AUCTORITATE
MAGNIFICI ET NOBILISSIMI
RECTORUM ORDINIS,
IN ILLUSTRI ALBERTINA,
ACADEMIA PATRIA,
SUB DIVINI NUMINIS PRÆSIDIO,
PRO SUMMIS IN UTROQUE JURE HONO-
RIBUS, PRIVILEGIIS, ATQUE IMMUNI-
TATIBUS DOCTORALIBUS RITE AC
LEGITIME CONSEQUENDIS
HABEBIT.

ACHATIUS CHRISTIANUS *Kanger*/
PRUSSUS,
AD DIEM XIV. SEPTEMBR. M.DC.LXXIV.
IN AUDITORIO MAJORI,
HORIS ANTE-ET POMERIDIANIS.

REGIOMONTI,
Typis FRIDERICI REUSNERI.

DISPUTATIO JURIDICA
IN ANONALIS
DE
**CONCURSU
ACTIONUM,**

CHAM
EX DECRETO ET AUCTORITATE
MAGNIFICENTISSIMI
RECTORUM ORDINIS
IN ILLUSTRI ALBERTINA
ACADEMIA PATRIA
SUB DIVINI NUMINI PRÆSIDIO
PRO SUMMIS IN UTROQUE IURE HONORIS
REBUS PRIVILEGIIS ATQUE IMMUNITATIBUS
TABULIS DOCTORALIBUS RITE HAC
LEGITIME CONSERVANDIS

ACHAÏLUS CHRISTIANUS JUNG
AD DIE XIX. SEPTEBR. MDCXIV.
IN AUDITORIO MAIORI

HORIS ANTE MERIDIEM
L. GEOMONII
DE IURIS FACULTATE

QVOD FELIX FAUSTUMQ; ESSE JUBEAT
SACROSANCTA TRIAS!
DISSERTATIONIS INAUGURALIS
DE CONCURSU ACTIONUM.

CAPUT I.

DE
CONCURSU ACTIONUM HOMONYMIA,
SYNONYMIA, DEFINITIONE ET
DIVISIONE.

Th: I.

Asfiduum in cognoscendis *Actionum* naturis & qualitatibus studium ponendum esse, jam tum veteres inculcarunt Juris Interpretes; Unde & eum qui bene nosset *actiones*, totum Jus nosse adserere non dubitaverunt.

II.

Operæ pretium proinde me facturum puto, si *Inaugurali* hac *disputatione* in qualitates earundem, ratione *Concursus* pressius inquisivero.

III.

Quantquam autem in Voluminibus Juris Romæ Justin: nullus *singularis* de *Concursu Actionum* *Titulus* reperitur; ex pluribus tamen locis satis abunde colligi potest, hanc juris partem à Juris Consultis non neglectam, sed diligenter excultam fuisse.

IV.

Etenim *Paulum Juris Consultum*, *singularem librum de concurrentibus edidisse actionibus*, duo fragmenta, quorum alterum in *l. qui servum 34. D. de Obl. & Act.* alterum vero in *l. si quis egerit 88. D. de furt.* extat, indicio sunt.

A 2

V. Imo

V.
Imo hinc inde apparet materiam hanc à Javoleno l. 71. pr. D.
de furt. Ulpiano l. 9. §. 1. de Tribut. Act. l. 130. D. de R. J. Modestino
l. 53. pr. D. de Obl. & Act. aliisq; JCTIS tractatam fuisse.

VI.

Explicationem itaq; arduæ hujus, & in Theoriâ satis intri-
cata, in Praxi vero utilissimæ materiæ me aggressurum, deceret
inquirere unde nomen *Concursus & Actionis* descenderet; At
cum denominatio hæc cuius latinam callenti linguam obvia
sit, igitur hoc in præsens supersedebo labore.

VII.

Quod autem varias harum vocum acceptiones attinet, su-
mitur *Concursus* in jure nostro 1. pro *Concursu Cohæredum &*
Collegatariorum, quando res in Testamento pluribus hæredibus
aut Legatariis conjunctim relicta vel legata est, in quam si con-
currant, partes faciunt per l. 80. D. de Leg. 3.

VIII.

2. Pro *Concursu Creditorum*, quando plures Creditores in
substantiam bonorum Debitoris, alieno ære gravati, ut ipsi se ex
ea satisfiat, concurrunt.

IX.

3. Pro *Concursu Actionum*, quo in significato iterum sumi-
tur vel *latisime*, pro cumulatione actionum plurium, in uno
eodemq; libello, quam tamen fori nostri figmentum esse plu-
rimi statuunt D. d.

X.

Vel *late*, pro concursu illarum Actionum, quarum *electio*
nobis tantum competit, sive cum *unam* tantum cum effectu in-
stituere possumus l. 9. §. 1. de Tribut. act. 43. §. 1. de de R. J.

XI.

Vel *strictè* pro illarum actionum concursu, quæ omnes
circa

circa eandem rem cum effectu vel in totum vel pro parte inten-
tari queunt; l. 27. pr. D. ad L. Aquil. l. 7. §. 1. de Cond. furt. l. 7. §. 1.
Commod. l. 45. §. 47. pro socio. l. 34. §. ult. de Obl. & Act. l. 2. §. 1. de priv.
del. l. 71. pr. §. 88. de furt. l. 1. arbor. furt. cas. l. 130. de R. J. Ultraq;
posterior significatio ad præsentem hanc facit dissertationem.

XII.

Actionis vocem extra usum juris generaliter comprehen-
dere omnem omnino viventis operationem vulgo notum est;
ad sensum autem *Juridicum* restricta, sumitur i. latissime, pro quo-
libet hominis facti forensi, atq; tum actiones tam civiles, quam
populares, accusationes criminales, nec non extraordinarias
Prætoris cognitiones, prætorias Stipulationes, Exceptiones,
præjudicia, & imploratione officii Judicis complectitur. l. 37. pr.
D. de Obl. & Act. l. 1. de Except. T. T. de popular: Actioni. l. ult. de
priv. del. l. 1. Stellion. l. 178. §. 2. de V. S. Rubr. & l. un. C. quando Act:
civ: crimin: præjud: & hæc significatio huic meæ inserviet tracta-
tioni.

XIII.

Strictè pro *Actione in rem* & *in personam* §. 1. J. de Action:
§. 15. eod. l. 25. pr. D. de Obl. & Act.

XIV.

Strictissime pro *Actione personali seu Condiçione*, quo sen-
sitam *actioni in rem*, quæ in specie aliàs *petitionis* aut *rei vindic-*
cationis nomine venit, quam *extraordinaria persecutioni* oppo-
nitur, quod maxime fit, si conjuncta legantur hæc tria, *Actio*, *Pe-*
tio, *persecutio*, uti fit in §. 2. J. quibus mod: Obligar: toll: l. 28. D. de
Obl. & Act: l. 18. §. 1. de Acceptil. l. 49. in fin. de V. S.

XV.

Cæterum *Concursus Actionum* varias apud varios habet
appellationes; quidam enim cum *Cumulationem*, *Coadunatio-*
nem, *Combinationem*, *Conjunctionem*, *Coacervationem* *Actionum*
vocant, quæ appellationes, modo eas quis rite interpretetur, to-
lerari possunt.

XVI.

Sic præmissâ *Homonymia* & *Synonymia*, consequens est ut *definitionem* proferam; Est autem *Concursus actionum*, jus exercendi plures actiones, de eâdem re, ex unâ vel diversis causis, eidem actori, adversus eundem reum, concessum.

XVII.

Dicitur in definitione traditâ, quod *Concursus actionum* sit *jus exercendi*; ubi vocabulum juris denotare *potestatem seu facultatem jure concessam* & *attributam arg. l. 6. §. ult. D. de negot. gest. l. 1. de eo quod certo loco. l. 5. §. ult. de dol. mal. & met. except.* notandum est.

XVIII.

Quid autem per vocem *rei* in hac definitione intelligatur, discrepant Dd. Quidam enim *Rei* appellatione hic non *factum, sed corpus vel pecuniam* tantum significari contendunt.

XIX.

Verum rectius cum iis facio, qui vocem *rei* in hac materia in latiori sumunt significato, ut non tantum præcise rem, sed & factum, imo omne illud quod circa rem vel factum, aut occasione saltem rei, factive quomodocunque existit, suo complexu denotet.

XX.

V. gr. Circa rem furto ablatam duæ concurrunt Actiones 1. *Condictio furtiva*, quæ contra rationem juris, odio furum, domino datur adversus furem, *l. ult. in fin. D. Usufr. quem adm. caveat*, quâ ipsa res, aut eâ non existente ejusdem ætimatione condicatur. 2. *Actio furti*, quâ id, quod occasione istius rei legitime debetur, *pœna scil. dupli* in furto non manifesto, *quadrupli* in furto manifesto petitur, *vid. l. 7. §. 1. de Condict. furt.*

XXI.

Eâdem ratione & *verberum illatorum* nomine duæ concurrunt

currunt actiones. 1. *Actio L. Aquil.* qua agitur ad aestimatio-
nem damni dari *l. 21. pr. & §. ult. D. ad L. Aquil.* 2. *Actio inju-*
riarum, qua vindicatur injuria per verbera illata, *l. 34. pr. D. de*
Obl. & Act. l. 2. §. 4. de priv. del.

XXII.

Reliqua, quæ in definitione posita sunt, faciunt ad for-
mam Concursus, & ergo tum, quando de ista suo loco inferius
tractabitur, explicanda erunt.

XXIII.

Dividitur Concursus Actionum ab aliquibus in *realem, per-*
sonalem & mixtum; *Realem* dicunt, quando plures actiones in rem
concurrunt, ut rei vindicatio & hypothecaria; *Personalem*, quan-
do plures actiones in personam concurrunt; *Mixtum*, quan-
do actio in rem & in personam, ut condictio & rei vindicatio
concurrunt, *l. 1. C. Comm. de Legat.*

XXIV.

Personalem iterum faciunt *triplicem*, *rei persecutorium*,
quando plures actiones rei persecutoria concurrunt, *l. 9. §. 1.*
D. de Tribut. act. Poenalem, quando plures poenales actiones
concurrunt *l. 1. D. de Vi bon. rapt. Mixtum*, quando actiones
rei persecutoria, cum poenalibus concurrunt *l. 45. D. pro Soc.*

XXV.

Subscriberem equidem & ego his divisionibus, si tam
essent accuratae, quam vulgo sunt receptae.

XXVI.

Accuratior mihi videtur divisio eorum, qui Concursum
actionum ab effectu dividunt in *electivum & Successivum*.

XXVII.

Electivum est, ubi tantum Concurrentium actionum ha-
bemus electionem, ita ut una earum exercita consumat cete-
ras *l. 43. §. 1. D. de R. J.*

XXVIII.

Successivus est, quando nobis quidem actionum electio competit, sed ita, ut altera in iudicium deducta, altera nihilominus supersit, per quam quod nondum obtinuimus, licite consequi possumus *l. 34. pr. D. de Obl. & Act.*

CAP. II.

DE
CAUSIS CONCURSUS ACTIONUM.

Th. I.

Causa efficiens Concursus actionum alia est *remota*; alia *proxima*; remotam statuo *Responsa Prudentum Rom.* Simplicissimam eorum secutus sententiam, qui eundem Juris prudentum autoritate atque interpretatione apud Rom. demissum fuisse statuunt *arg. l. 32. D. de Obl. & Act. l. un. C. quando act. civ. crim. prejud.*

II.

De Concurrentibus enim actionibus varias fuisse veterum sententias probat *l. 34. pr. D. de Obl. & Act. l. 38. §. 1. pro Soc.* quas deinde relatas ad *Collegium Juristorum*, habitaque accurata fori disputatione, collatis rationum ponderibus, cum unus Jurisprudendum eas definire non auderet, certo modo determinatas esse, probabile est.

III.

Nec me movet, plures actiones ad eandem rem persequendam, *Legibus, Plebiscitis, Senatusconsultis, Edictis Prætorum* constitutas esse; Nam ut ut hæc ita se habeant, hoc ipso tamen formalis illarum sive quoad electionem, sive quoad successionem, Concursus nondum probatus est: sed recentiori adhuc juri isti, de quo jam dixi, adscribendus.

IV.

IV.

Causa Efficiens proxima est *Jus*, quod quis *circa rem* habet, quod in univ^{er}sum *duplex* est; Unum *Jus in re*, alterum, *Jus ad rem*.

V.

Illud est, quo res ipsa nobis est devincta, seu quod rem ipsam afficit; Cujus quinque vulgò recensentur species, *Dominium*, *Hæreditas*, *Posseſſio*, *Servitus*, & *Pignus*.

VI.

Hoc est, quo res nobis quidem non est devincta, sed quod personam adstringit, ad aliquid dandum vel faciendum, Cujus species sunt *Contractus* vel *quasi*, *delictum* vel *quasi*.

VII.

Causa materialis Concursus actionum est vel *objectiva* vel *subjectiva*.

VIII.

Subjectum sunt personæ, quæ suis nominibus nuncupantur *Actor* & *Reus*; *Actor* is est, qui alteri in judicio controversiam movet *l. 1. D. de edendo*, vel qui prior ad iudicium contra reum provocat *l. 13. D. de Jud.*

IX.

De quo hæc notanda est regula; Qui legitimam agendi in iudicio, & ad id provocandi personam habet, illi libera datur facultas, pluribus actionibus experiundi, modo id rei, de qua agitur, natura admittat.

X.

Reus est, qui in iudicio convenitur, cujus par ferè cum auctore conditio est.

XI.

Materia autem *Objectiva* sunt res, quas certis actionibus persequimur, de quibus jam supra c. 1. Th. 19. dict.

XII.

Actiones *plurifariam* dividi & subdistingui *ex t. t. l. de Act. D. & C. de Obl. & Act.* satis liquidò constat; præſenti verò negotio

B

tio

tio unica præceteris inservit divisio ab Imperatore Justin. in §. 16. I. de Actionibus proposita, qua dispescuntur in reipersecutorias, pœnales, & mixtas. XIII.

Actiones rei persecutorie non tantum sunt illæ, quibus rem nostram, quæ nobis ex nostro patrimonio abest, vindicamus, verum etiam quibus illud quod nobis ex obligatione debetur, persequimur. XIV.

Apparet ergò, non tantum omnes in rem actiones esse rei persecutorias, verum etiam omnes in personam actiones, quæ ex contractu vel quasi oriuntur, §. 17. de Action. in quo §. his ultimis voculam fere Imperator adjecit, ut excluderet actionem depositi miserabilis, quam mox mixtam esse dicit.

XV.

Imo dantur etiam quædam ex delicto actiones, ut actio rerum amotarum, & condictio furtiva, hisq; similes, quas rei persecutorias esse nemo negabit. vid. l. 21. §. pen. de act. rer. amor.

XVI.

Pœnales sunt, quibus non persequimur id quod nobis abest, sed aliud quid vindictæ causa, quales sunt actio furti §. 5. l. de Obl. quæ ex del. nasc. §. 18. de Act. Injuriarum l. 7. §. 1. de Injur. actio de albo corrupto l. 7. D. de Jurisd. Actio quæ datur contra eum, qui Parentem aut Patronum sine veniâ in jus vocavit l. 12. l. 24. l. 25. D. de in jus vocando; & similes.

XVII.

Mixta est, quibus rem & pœnam persequimur; ut actio vi bonorum raptorum, L. Aquilia, Actio contra eos, qui relicta sacrosanctis Ecclesiis, vel aliis venerabilibus locis Legati vel Fideicommissi nomine dare distulerunt, usque adeo ut etiam in judicium vocarentur. vid. §. 19. I. de Act.

XVIII.

Forma Concursus actionum consistit in hoc, ut plures actiones,

ctiones, ejusdem rei nomine, uni eidemq; actori, contra eundem reum, dentur. XIX.

Hinc *quatuor Requisitiones* ejusdem notanda veniunt. 1. Est, ut *plures actiones* alicui dentur; Ubi sciendum, quod & illi, qui *duabus actionibus* experiri potest, plures actiones competant; pluralis enim locutio duorum numero contenta est. *c. 40. X. de R. I. in 6to.* XX.

2. *Requisitum* est, ut hæ dentur *ejusdem rei nomine*; Si itaq; *diversarum rerum nomine* plures actiones competunt, non dubium est, eas omnes subsistere & non concurrere; v. c. Si quis reo, quem ex certa causa condemnatum habet ad centum aureos, eidem rursus centum mutuo det, is quidem duas habebit actiones, sed de diversis rebus.

XXI.

3. *Requisitum* est; Ut hæ dentur *uni eidemq; Actori*, unde constat has actiones, quæ dantur diversis actoribus adversus eundem reum, minus apte concurrere.

XXII.

4. *Requisitum* est, ut hæ dentur *adversus eundem reum*, quo ipso à Concursum actionum arceo istas actiones, quæ quidem dantur de eadem re, non tamen adversus eundem reum, sed adversus plures. *vid. l. 76. §. 1. de furt.* XXIII.

Finis concursus actionum est, ut laxior sit agendi Facultas, uti hoc inculcat Papinianus *in l. 76. §. 8. D. de Leg. 2.* qua tamen facultate ac potestate nemo abuti debet.

XXIV.

Nam licet nemini negandū videatur pluribus uti juribus, si modo citra fraudem alterius fiat, attamen, non omni tempore, omniq; loco hoc conceditur.

XXV.

Quo in argumento ne peccaremus, Juris Interpretes varias

B 2

casq;

casq; plurimas cuderunt regulas, ex quibus vim atq; Effectum
Concursus actionum sat feliciter addiscere possumus; has in
sequenti capite proponere atque deducere propositum.

CAP. III.

DE EFFECTU CONCURSUS ACTIONUM, TAM ELECTIVI QUAM SUCCESSIVI.

Th. I.

Discussis *quatuor causis* Concursus actionum, recto pede
me *ad Effectum* ejusdem converto; Quum autem con-
cursum alium Electivum alium Successivum cap. i. audiverimus,
proinde hoc capit: de *Effectu utriusq;* brevibus dicendum est.

II.

Verum enimvero ne hac in re fluctuemus, sed firmum ha-
beamus fundamentum, cui inniti possimus, *regula* quædam tra-
dendæ sunt, quæ omnem omnino hujus rei difficultatem è ve-
stigio discutient. Et quidem quod actiones elective concurren-
tes attinet de his.

III.

Prima regula esto talis: Plures Actiones *ex una eademq; cau-
sa simpliciter concurrentes, atq; idem persequentes* concurrunt *ele-
ctive*, ita ut una earum electa & deducta in iudicium, reliquas
plane consumat.

IV.

Elective inter se concurrunt vel actiones *mere rei persecu-
toria reales*, quibus rem nostram persequimur, vel *rei persecu-
toria personales*, quibus id quod nobis debetur petimus, vel *me-
re pœnales*.

V.

Quoties actiones *mere rei persecutoria reales* de eadem re &
ex eadem causa concurrunt, toties unâ tantum experiri licet.
l. 7. §. 4. D. de Except. rei. jud. nec sine ratione: res enim amplius
quam semel, propter unicam dominii causam, nostra esse non
potest

potest l. 14. §. 2. D. de Except. rei. jud. l. 4. C. de Contrab. empt.
nec bona fides patitur ut idem bis exigatur l. 57. de R. I.

VI.

Quod si autem hæ ipsæ merè persecutoria reales actiones
ex diversis causis descendant, tunc plurimum interesse puto, u-
trum quis egerit *expressè domini causa* v. gr. peto hanc rem jure
dominii, quia mihi legata est; nam hoc in casu si succubuerit
actor actionē novam ex alia domini causa intentare potest l. 11.
§. 2. de Except. R. Jud.

VII.

Si vero egerit quis *simpliciter* hoc modo, peto hanc rem,
quæ ad me *jure domini* spectat, & succubuerit, tum actori re-
gressus ad aliam denegabitur, opposita exceptione rei judicatae
arg. l. 11. §. 1. de Except. rei. jud. quaecunq; enim, & undecunq;
dominiū acquisitum habuimus, vindicatione prima in judiciū
deduximus. Hæc de actionibus mere rei persecutoriis realibus.

VIII.

Simili ratione, quoties plures actiones rei persecutoria per-
sonales simpliciter tales, ex eadem causâ concurrunt, unâ solum-
modo ex his experiri possumus vid. l. 34. D. de Obl. & Act.

IX.

Quam Regulam seqq. illustro exemplis: Sic quando ser-
vus in peculiari merce negotiatus est, quoniam hoc ipso servus
se ipsum ex contractu obligare non potest, ex ratione quæ ha-
betur in l. 22. de R. F. quod in personam servilem nulla cadat obli-
gatio; ideo nec ex obligatione conveniri potest, tum adversus
dominum datur *actio Tributaria & de peculio*.

X.

Quæritur ergo utrum dominus duabus hisce actionibus
pulsari possit, an vero una in judicium deducta aliam consu-
mat? Cujus quæstionis decisio in l. 9. §. 1. D. de Trib. actione tra-
ditur, ubi expresse statuitur; Si quis actionem vel de peculio vel

Tributoriam elegerit, & alterutrâ hac expertus fuerit, ad aliam non dari regresum. XI.

Idem obtinet in actione *communi dividundo*, concurrente cum actione *pro socio l. 38. §. 1. pro soc. l. 50. eod. conditione fur-tiva* concurrente cum eâdem actione *pro socio l. 47. pr. pro soc. propter generalem in l. 50. all. comprehensam rationem, quia utraq; rei persecutionem respicit, & ad idem tendit.*

XII.

Ne vero mihi aliquis opponat *l. 43. D. pro soc: ubi* dicitur actione *communi dividundo*, non tolli actionem *pro socio*, ideo mea regula supra *hoc cap: §. 3.* tradita hanc adjicio limitationem, nisi forte una actio plus in se contineat quam altera *l. 47. pr. pro soc. l. 34. pr. de Obl. & Act:* tunc enim altera quæ plenior, & ex qua mihi amplius competit, *in supplementum* datur & hæc quoq; de actionibus rei persecutoriis personalibus.

XIII.

Actiones pœnales quod attinet ardua illa quæstio est Dd: utrum illarû concursus æquè electivè fiat, ut in actionibus prioribus. Ego distinctione omnem hanc controversiam dirimi posse puto.

XIV.

Aut plures actiones pœnales descendunt *ex uno facto & uno delicto*, aut *ex uno facto, & pluribus* inde existentibus *delictis*; Priori casu unâ tantummodo actione agi debere æquitas ratio dicitur, quæ ex uno delicto plures nasci obligationes habiles, ad pariendas actiones efficaces nullo patitur modo *l. 14. D. de Accusat: l. 41. de pœn:* tendunt namq; omnes ad meram vindictam, ideoq; merito una alteram confumit.

XV.

Sic adversus *injuriantem*, nobis competit tam actio injurarum civilis, quam criminalis per *l. ult. D. de Injur:* Ast cum in utroq; judicio unum idemq; veniat factum & delictû, & utraq; actio

actio ad meram pœnam persequendam comparata sit, ideo
utrâ ex his elegerit actor, eâ contentus esse debet *l. 6. D. de injur.*
Nec huic sententiæ obstat *l. 7. §. 1. de injur.* nec *l. 130. de R. l. ut*
in conflictu videbimus. XVI.

Quid porro juris sit in posteriori casu, & quando ex uno
facto, & pluribus inde procreatis delictis plures nobis compe-
tunt actiones, dicetur infra.

XVII.

Interea occasione modo dictorum, quæstio hæc suboritur,
utrum is, qui usus est *remedio retorsionis* possit adhuc *actionem*
injuriarum intentare? XVIII.

Decisio hujus quæstionis alia desumenda *ex jure civili* Ju-
stiano, *alia ex praxi*. Quod attinet *jus Justinianæum*, intrepide
statuo, retorsionem non impedire actionem injuriarum, hæc
motus ratione, quod nullibi in toto jure civili retorsio relata sit
inter remedia, quibus injuria nata extingvitur; non obstante
l. 1. §. 6. de bonis libert. l. 25. de procurat. l. Ult. D. quod quisq; juris
in alium stat. XIX.

In praxi autem contrarium observatur; Nemo enim, qui
usus est contra injuriantem retorsione, adversus eundem acti-
one injuriarum experiri potest; ratio: quia hoc remedio retor-
sionis hodie æq; ac actione injuriarum famæ ac honori inju-
riati consulitur, atq; cū duo hæc remedia simul ad vindictam
spectent, ideo per retorsionem satis superq; vindicata videtur
injuria; Modo tamen fiat defensionis gratia cum debito mode-
ramine *vid. Land. l. 6. T. 9. A. 1. §. 6.* quo posito rectissime con-
cludo, hodie, electo hoc extraordinario remedio, actionem in-
juriarum ordinariam amplius institui non posse.

XX.

Discussio *Concurfus Electivi Effectu*, atq; *actionibus electi-
ve concurrentibus* traditis, ad *concursum successivum* me Con-
fero, de quo sequens observanda regula. XXI.

XXI.

Actiones plures concurrentes quæ non tendunt ad idem consequendum sed diversa, successive concurrunt l. 56. pr. de furt. ita ut qui unâ obtinuit, etiam aliam instituere possit.

XXII.

Spectant huc non tantum plures actiones rei persecutoria & pœnales inter se, verum etiam rei persecutoria cum pœnali-bus, rei persecutoria cum mixtis, pœnales cum mixtis, & mix-tæ cum mixtis concurrentes.

XXIII.

Sic successive concurrunt Actio venditi & actio ex stipulatu, si adjecta pœnâ quis propter rem venditam aliquid promiserit, & suis postea non steterit promissis, minusq; insit pœnæ quam Actoris interest, tum etiam post exactam pœnam actio ex ven-dito ad reliquum superest vid. l. 28. D. de Act. Empt. & Vend; Alias si tantundem in pœna sit, quantum venditoris interest & venditor prius actionem ex vendito instituerit, eâq; quod pœ-næ nomine stipulatus fuerat, sit consecutus, ab actione ex stipu-latu, doli exceptione semper arcetur; Quod si autem prius ex stipulatu egerit & pœnam consecutus sit, ipso jure agere ex vendito prohibetur.

XXIV.

Huc etiam pertinet Actio familiae erciscundæ & communi dividundo, si scilicet fam: erciscundæ actio prius instituta & judicis officio hereditas quidem divisa sit; ita tamen, ut adhuc quædam res indivisæ manserint. Ad has enim dividendas Universale fam: erciscundæ iudicium iterum institui non potest; ratio; quia amplius quam semel agi non potest l. 20. §. 4. D. fam: ercisc: non obstante l. 1. C. fam. ercisc.

XXV.

Sed ne hæredes in communione, quippe quæ inter pro-pinquos

pingvos discordias excitare solet l. 77. §. 20. D. de Leg: 2. invita manere cogantur l. 26. §. 4. de Cond: indeb: communi dividendo iudicium ad reliquas res hæreditarias dividendas institui potest all. l. 20. §. 4.

XXVI.

Succesivè quoque concurrunt actiones pœnales ex uno facto & pluribus inde procreatis delictis, propter l. 2. pr: D. de priv. del. l. 9. C. de Accus: & Inscript: v. gr: vitiavit quis sororem suam alii nuptam, is & incestum & Adulterium committit, atque propter utrumque crimen conveniri potest.

XXVII.

Eadem ratione *Actiones rei persecutoria cum pœnalibus* concurrunt v. c. Actio furti manifesti in quadruplum, & nec manifesti in duplum, non consumit *actionem rei persecutoriam*, rei vindicationem, vel condictioem furtivam; datur namque ad rem furtivam recuperandam domino duplex actio, rei vindicatio, & condictio furtiva, quarum altera quidem alterius electione consumitur, sed neutra earum per actionem furti; receptaque; re nihilominus salva est *furti actio* l. 54. §. 3. D. de furt:

XXVIII.

Quænam vero sit differentia inter *rei vindicationem* quæ datur domino adversus furem ad rem recuperandam, & *condictionem furtivam*, non est mei instituti hic tradere. Videatur §. ult. f. de Obl. quæ ex del. nasc: ibique; Dd.

XXIX.

Actiones rei persecutoria cum mixtis itidem concurrunt *succesivè*; exemplo sit *actio commodati* concurrens cum *L. Aquilia actione*, nimirum si commodatarius vestimenta sibi commodata culpa sua ruperit, aut alioquin deteriora reddiderit, tunc commodans adversus eum utraq; actione agere potest.

XXX.

Quod tamen cum grano salis est accipiendum; aut enim quis pingviori *L. Aquil: actione*, aut leviori *commodati* prius egit;

C

egit; hoc casu adhuc actio L. Aquiliae remanet; non quidem in totum & solidum, sed quod in repetitione 30. dierum amplius fuit l. 34. §. 2. de Obl. & Act. iungit. 7. §. 1. l. 18. §. 1. D. Commod. Illa autem utiq; commodati finitur actio.

XXXI.

Non minus etiam ad hunc successivum Concursum pertinent actiones pœnales concurrentes cum mixtis. e.g. Actio furti cum actione vi bonorum raptorum, quam mixtam esse §. 19. J. de act; ostendit, successive concurrat.

XXXII.

In furem enim illum improbiorem (quem admodum raptor in pr. J. de Vi bon rapt; vocatur.) non solum actio mixta Vi bon; rap; sed etiã mere pœnalis actio furti nec manifesti conceditur; Si vero ante actum fuerit mixta, deneganda est furti actio, si furti nec manifesti prius actum, illa deneganda non est, sed adhuc id quod plus in ea est consequi actori permissum est; l. 88. D. de furt.

XXXIII.

Ultimò quoq; & plures actiones mixtæ concurrunt successive, hinc qui rem raptam deteriore effecit, utrâq; & vi bonorum raptorum & L. Aquil; actione conveniri potest. l. 2. §. 10. de vi bon; rapt;

XXXIV.

Eodem modo ipsius L. Aquiliae primum caput, quod talem æstimationem complectitur, quanti illa res eo anno plurimi fuit pr. J. de Leg; Aquil; cum tertio L. Aquiliae capite, in quo res tanti æstimatur, quanti intra triginta dies proximos plurimi fuit §. 14. de L. Aquil; successive concurrat l. 32. §. 1. l. 46. D. ad L. Aquil; v. c. si observum vulneratum ex tertio L. Aquil; capite actum fuerit, eo autē paulo post ex eodem vulnere mortuo, nihilominus etiam ex primo L. Aquil; capite agi potest; attamen hoc cum moderamine, ut non amplius consequatur actor, quam consequi deberet, si ab initio statim de occiso homine egisset l. 47. d. t.

CAPUT IV.

CAP. IV.

AD FINE & CONTRARIUM EXHIBENS.

Th. I.

Absolutis hisce quæ de Concursu actionum primario dicenda erant, subjiciendum nunc ejus *ad fine*, & quid illi *contrarium*.

II.

Ad finis autem præcipue est Concursui actionum, *Cumulatio earundem*; quæ est actionum compatibilium, in uno judicio simul, & in uno libello conjungendarum, coacervata editio, quam supra fori excogitatum dixi.

III.

Intricata sese hic offert quæstio ventilanda, an plures actiones de jure Justin. in uno eodemque libello conjungere & cumulare liceat? Resp. hanc cumulationem communiter quidem statui à *Dd.* sed contrarium vel solam *l. 6. D. de Except. rei jud.* satis superque probare.

IV.

Quid autem Responsi ad *LL.* quæ pro adstruenda opinione contrariâ proferuntur ut est *l. 11. D. de Jurisd. l. 12. §. 1. de Acquir. vel amitt. posf. l. 1. §. 4. quod Legat. l. 16. C. de inoff. Testam. l. 18. §. 1. D. de vi & vi armata?*

V.

Ad legem alleg. *11. D. de Jurisd.* Resp. eam ne hilum quidem ad adstruendam ejusmodi cumulationem proficere; Nec enim probat, quod probare debebat, scil. Titio, cui plures adversus unum competierunt actiones, easdem licuisse, unâ formula, eodem temporis momento instituere.

VI.

Ad *l. 12. §. 1. de acquir. vel amitt. posf. & l. 18. §. 1. de Vi & Vi arm.* Resp. Etiam si ibi dicatur, pendente judicio petitorio posse nihilominus interdicto agi; non tamen legitur quod utrumque simul in uno libello cumulari possit, sed ut interim dum de
postes-

possessione cognoscitur suspendatur & differatur iudicium pe-
torium l. 13. C. de R. V. l. 3. C. de Interd.

VII.

Ad l. 1. §. 4. D. quod Legat. & l. 16. C. de ineff. Testam. Resp.
cas plane non agere de concurrentibus actionibus, sed hunc in
se continere casū; Si actor utrā experiri valeat actione, ob pro-
babilem rationem incertus sit, tunc ipsi permittitur plures a-
ctiones alternative dictare, atq; instituire, ut protestetur se tan-
tummodo harum alterutrā, quæ sibi competitura est, usurum
esse; Unde patet alterutram tantum actionem cum effectu mo-
tam esse.

VIII.

Nihilominus tamen, quia hodie ubique fere receptum est,
ut plures actiones in uno libello jungantur; cumulationē
hanc non rejiciendam autumo; multa quippe *in praxi præter
jus civile* obtinent, quibus quotidie utiliter utimur.

IX.


Contrarium Concurfus actionum non tantum est denegatio
actionis, quando, alicui nulla omnino actio adversus aliquem
competit:


X.


Verum etiam quando unica tantum per leges conces-
sa est; quod uberius hinc explicari posset, nisi ex supra dictis
jam tum constaret, & instituti ratio me hinc subsistere
juberet. Et tantum pro virili de confragosa hac, uti eam.
Hotomannus nominat Concurfus actionum materia; Tu be-
nevole & candide Lector propter difficultatem ejusdem, facile
veniam dabis, si non omnia ad palatum. Cæterum Supremo
Numini præstiti benigne auxilii causa, submissas ex imis cor-
dis penetralibus grates decerno, atque Spiritus sui sancti per-
petuæ adstantiæ me in posterum, per universum vitæ
curriculum, fuis precibus anhelis,


commendo.

SOLI DEO GLORIA.











AC CARCERES IN CAUSA DEBITI

sonalis arresti gratia secessionem fecerit eum i
cambiale usu vel lege *haud inuictum*; nihilo
valide cambialiter conveniri posse, docet BE
For. Tit. V. 3. n. 4. p. 137. Conf. BARTH. Ho
IV. §. 4. p. m. 833.

8) In litteris cambii *non requiritur jam facta de*
excussio iure Saxonico et aliorum locorum leg
cambium et pactum obligationis ad carcerem c
xonia.

9) In iisdem igitur *nec bonorum cessio* liberat a ca
Conf. b. ABR. KAESTNERI disp. *de obligatione*
causa debiti. Lips. hab. 1723. et V. C. IOH. FRI
de pecunia mutuatia tuto collocanda. Cap. III
jus autor exquisitoria tradit, quam inscripti
promittit.

§. CXVIII.

Obligatio *ad obstagium* etiam ab obligatione d
rem est diversa. Illa enim, nomine ante diem noi
bitor interpellatus *diversorium publicum ingredi*, in
fere, donec creditori satisfecerit, obstringitur. Q
cum designatum *haud ingreditur*, per sententiam ob
gitur et quidem cum comminatione poenae *des Schu*
tenia ita habet: *Ist beklagter also fort nach Insin*
nach den öffentlichen Gast-Hof N. zubegeben und das
gestellte Einlager zu halten schuldig, mit der Com
dem nicht also nachkommen wird, daß auf den fall
des Schuld-Thurm ietzt alsdann und dann als ietzt g
auf fernar gegen ihn ernstlich verfabren werden soll.
obstadium hodiernum in terris *Sleswico-Holsaticis, Ha*
re constat. CAROLUS V. Imp. litteris civitati *Gelnhaus*
bus *Spirensibus* an. 1349. datis se ipse ad obstadium

K 3

